



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 2. De Authoritate S. Scripturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Quilibet Lector, qui expositurus Sacram Scripturam aggredietur, cum in Sacrarum voluminibus literarum, aliqua verba diversum sonante sententiâ sollicitatur, certa & inconcussa se tenere debet, nusquam deesse veritatem, etsi non facile propriam magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.

§. II.

De Authoritate S. Scripturæ.

Quàm necessaria sit hæc authoritas, breviter indicat S. Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 37. dum dicit: *Titubantes, si divinarum scripturarum vacillet authoritas.* Ut autem facilius ostendatur, quomodo hæc authoritas S. Scripturæ conveniat, notandum est ex Serario c. 7. proleg. duos authoritatem requiri. 1. Excelleus quoddam donum, quod sit quasi fundamentum authoritatis, ob quod alteri fidei obedientia, vel honor debeat, ut enim bene advertit Titubantius, non cani, non rugæ repente authoritatem adferre possunt, sed honestè acta Superior ætas fructus authoritatis capit extremos. 2. Requiritur respectus ad eos, à quibus honor & obedientia exhibenda sunt; unde oportet hos cogitare in altero donum illud, propter quod dicta officia prestare debent. Ex quibus facile nunc patet, maximam authoritatem Scripturæ Sanctæ authoritatem, cum & contineat summam veritatem, ob quam firmissimum ab omnibus illam cogitantibus assensum mereatur; & præterea propter respectum ad DEUM, quem habet tanquam verbum & eloquium illud etiam summam dignitatem sortiat, ob quam summam honor & Reverentia debeat.

Fuisse autem hanc Authoritatem etiam ab Ecclesia seculi per agnitam, pluribus testimoniis, sed triplici præcipue probari potest. 1. Ex antiquorum Christianorum monumentis, qui, ut B. Paulinus epist. 12. ad Severum testatur, in templis suis duo Secretaria à dextro & sinistro latere a sedibus constituebant, quorum alterum Sanctissimæ Eucharistiæ, alterum Sacræ Scripturæ libris condendis erat destinatum. Conciliis autem Oecumenicis Sacer Evangeliorum Concilio loco medio in alto throno collocabatur, uti P. Antonius Linghem c. 1. præp. ad S. Script. testatur.

2. Ex Sanctorum, aliorumque præstantium virorum exemplo: inter quos merito primo loco numerandus venit S. Carolus Borromæus, qui, teste eodem Balinghem, Sacra Biblia nudo capite, & flexo poplite lectitare consueverat. S. Edmundus verò non nisi osculo prius libato eadem aperire solebat. S. Cæcilia Sacrum Evangelii codicem perpetuò in pectore gestabat, ut suum erga verbum divinum affectum & reverentiam ostenderet. Sed & de Alphonso Aragonum Rege Panormitanus l. 2. de ejus gestis scribit, eum Sacrorum Bibliorum volumen integrum decies & quater perlegisse, idque etiam Commentariis illustratum, tam firmiter memoriæ impressisse, ut non modò res singulas probè teneret, sed etiam bene longas earum partes verbò tenus memoriter recitaret.

3. Ex ipsorum etiam Iudaorum, qui in veteri Testamento primaria erant Ecclesiæ membra, testimonio: qui, ut Balinghem l. c. testatur, nunquam nisi lotis manibus Sacra Biblia contingunt, & quoties ea aperiunt, aut claudunt, reverenter osculantur; nec in eo scamio sedent, in quo Biblia jacent; si verò ea in terram casu cadere contigerit, integro die à cibo abstinent.

§. III.

De necessitate S. Scripturæ.

Ut hæc necessitas, quæ non parùm conducit ad S. Scripturæ excellentiam demonstrandam, clariùs intelligatur, supponendum in primis est cum Salmerone proleg. i. non fuisse simpliciter necessariù, ut doctrinæ illæ, quæ in Bibliis de facto continentur, literis mandarètur, cum DEUS eam singulis, vel certè majoribus viva voce manifestare potuisset, sicut de facto à tempore Adami usque ad Moysen per spatium bis mille annorum & amplius Homines sine Scriptura Sacra vixerunt. Nihilominus tamèn rectè notat idem Author, quatuor ob causas moraliter necessariù fuisse, ut Scriptura Sacra à DEO nobis relinqueretur.

Primò, ut esset oblivionis medicamentum, & memoriæ auxilium: cum enim post Moysis & Christi adventum innumera fidei Mysteria Hominibus communicata sint, meritò
ad ea